

sibi benefactorum. De tertia sexagena custos lampadem ardentem in capella sancti Michahelis et Mariae Magdalenae provideat continue arsuram, quam similiter praefatus Otto de Luecz sibi suisque progenitoribus pro testamento et memoriali comparavit. De dimidia sexagena custos cum uno fertone in dedicatione eiusdem capellae dominis serviet et de alio fertone in apparitione sancti Michahelis, quae VIII<sup>o</sup> Idus Maii celebratur, similiter dominis serviet, quod festum domini cum novem lectionibus debent solempnizare. Et ut haec praesens nostra ordinatio a nobis nostrisque successoribus perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, reverendo in Christo patri ac domino domino Frederico ecclesiae Merseburgensis [episcopo] supplicavimus, ut eandem auctoritate sua dignaretur confirmare et banni sui sententia roborare harum quibus nostrae praepositurae et conventus sigilla sunt appensa testimonio litterarum.

Et nos Fredericus dei gratia episcopus Merseburgensis praefatam ordinationem ratificamus approbamus et districte praecipiendo mandamus, ne quis dictam ordinationem violare aut infringere eandem quovis modo praesumat aut contra eam veniat verbo opere ingenio vel cautela. Si quis autem eam infringere praesumpserit, a solempniis divinorum eo ipso sit suspensus, donec ad cor rediens ipsam ordinationem studuerit humiliter observare et a nobis aut nostris successoribus absolutionis beneficium curaverit impetrare. In quorum omnium et singulorum testimonium et robur sufficiens autenticum sigillum nostrum una cum sigillis praepositi et conventus praedictorum praesentibus est appensum. Datum et actum Merseburg anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono in die beatae Scolasticae virginis gloriosae.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den Siegeln des Probsts, des Convents und des Bischofs.

No. 147. 1379. 17. März.

*Pabst Urban VI. ertheilt denen Ablass, welche die Capelle des h. Michael und der h. Maria Magdalena in der Thomaskirche an den Tagen dieser Heiligen in Andacht besuchen.*

Urbanus episcopus servus servorum dei universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Splendor paternae gloriae etc. Cupientes igitur, quod capella sancti Michaelis archangeli et sanctae Mariae Magdalenae sita in ecclesia monasterii sancti Thomae apostoli in Lypzk ordinis sancti Augustini Merseburgensis diocesis congruis honoribus frequentetur et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitibus sancti Michaelis et sanctae Mariae praedictorum praedictam capellam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet ipsarum festivitatum diebus quibus capellam ipsam visitaverint unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Romae apud sanctam Mariam trans Tiberim XVI. Kal. Aprilis pontificatus nostri anno primo.

Pro Jo. Zoeukens  
H. Mynans.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.